



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Explanatio In Psalmos

Complectens primos 25. Psalmos

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Dusseldorpii, [1761]

VD18 15558428-001

Psalmus XIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53377)



ritatem me ad suam voluntatem non re-
degerint, tunc purus ero à delicto *maxi-
mo*, mortali.

*v. 15. Et erunt, ut complacent eloquia
oris mei, & meditatio cordis mei, in
conspectu tuo semper.*

Non solùm tunc immaculatus ero,
sed etiam fiet, ut hymni, quos in laudem
tuam corde, & ore decanto, Tibi sem-
per placeant, quia de mundo corde, &
ore simplici prodibunt.

*v. 16. Domine adjutor meus, & re-
demptor meus.*

Placebunt, inquam, Tibi cantica mea,
ex gratiâ tuâ, non ex meis meritis: to-
tum dono tuo habeo, qui es adjutor
in bonis, & redemptor à malis.

PSALMUS XIX.

Titulus, & Argumentum: *In finem
Psalmus David.*

Pfal-

Psalmus hic videtur cantatus à Davide,
 prævidente Christi adventum ad de-
 bellandas aereas potestates; quo
 etiam pertinent duo Psalmi sequen-
 res.

Ps. 1. *Exaudiat te Dominus in die tri-
 bulationis, protegat te nomen Dei
 Jacob.*

Quasi Christum videret in bellum
 contra Diabolum prodeuntem, & oratio-
 ne se armantem, imminente passionis tri-
 bulatione, acclamat illi: *exaudiat &c.* Pro-
 tegat te Deus populi sui, ut protegendo
 te, qui es caput populi ejus, etiam totus
 populus salvus fiat.

Ps. 2. *Mittat tibi auxilium de sancto,
 & de Sion tueatur te.*

De Sancto, de Sion, h. e. de Cælo,
 altissimâ illâ speculâ, unde omnia prospici-
 cit, mittat Tibi suppetias.

Ps. 3. *Memor sit omnis sacrificiï tui, &
 holocaustum tuum pingue fiat.*

Sacrificia multa sunt, passiones mul-
 tæ, quas pertulit Christus pro gloriâ
 Dei,



Dei, dum viveret; holocaustum, quo seipsum totum obtulit, est ipsa mors crucis. Hebræus addit *Selà, semper*, vide in Ps. III. in fine. Videtur hinc prophetia potius esse, quàm precario; & sensus est: Semper viguit, viget, & vigebit coram Deo passio Christi, per quam omnia bona nobis donantur.

¶. 4. *Tribuat tibi secundum cor tuum, & omne consilium tuum confirmet.*

Declarat finem Orationis, & Sacrificii, ut scil. Deus exaudiat, & ratum habeat desiderium cordis Christi, & consilium, & deliberationem, sive ut destruantur opera Diaboli, ut homo de captivitate liberatus, in Deum credens, habeat vitam æternam.

¶. 5. *Letabimur in salutari tuo, & in nomine Dei nostri magnificabimur.*

Post relatam Victoriã *letabimur* ob salutem tuam, quòd incolumis ex bello redieris, quæ salus in nos redundabit: nos magnos esse ducemus, non ob magnitudinem, quæ in nobis sit, sed propter magnum Dominum, quem habemus.

¶. 6.



¶. 6. *Impleat Dominus omnes petitiones tuas, nunc cognovi, quoniam salvum fecit Dominus Christum suum.*

Idem repetit: cognovi Domini illustratione, petitiones tuas omnino fore implendas: cognovi enim, quòd Dominus *salvum fecit* in prædefinitione suâ *Christum suum*, h. e. à morte excitavit, in Cælo collocavit, hostes pedibus ejus subjecit. Impleantur ergo petitiones, ex quibus tot bona in nos redundabunt.

¶. 7. *Exaudiet illum de Cælo Sancto suo, in potentatibus salus dexteræ ejus.*

Dum dixit: *salvum fecit* &c., loquebatur de prædefinitione; jam loquitur de executione: *exaudiet illum*, & sic *salvum faciet Christum suum*. In *potentatibus* &c. in magnâ potentiâ aderit Christo salus dexteræ Dei. Vel sensus est: in principibus constituendis, vel conservandis, præcipuè necessaria est salus dexteræ ejus: sinè hâc enim nihil sunt cetera præsidia, equi, currus, arma, milites, arces &c.

¶. 8.



*v. 8. Hi in curribus, & hi in equis,
nos autem in nomine Domini Dei
nostri invocabimus.*

Pergit explicare Victoriam Christi futuram. Alii Christi hostes confident in curribus armatis, alii in equis ferocibus: per hæc duo intellige omnia præsidia humana belli. Nos autem, cum Christo, capite nostro, in nomine Dei Omnipotentis piè invocato, fiduciam nostram collocabimus.

*v. 9. Ipsi obligati sunt, & ceciderunt,
nos autem surreximus, & erecti su-
mus.*

Illi, qui in curribus, & equis confidebant, ligati, & impediti sunt, ne regnare, vel consistere possent; nos autem, &c. qui in Deo confidimus, surreximus &c. Ante Victoriam Christi Dæmon humano generi, & judæi quasi erecti insultabant Christo patienti, humilibusque ejus Discipulis; sed paulò post illi omnes colligati corruerunt; isti verò surrexerunt, erecti stabunt in æternum.

v. 10.

✽. 10. *Domine saluum fac Regem,
& exaudi nos in die qua invocaveri-
mus te.*

Conclusio jungit finem cum princi-
pio Psalmi: saluum fac Regem de tribu-
latione suâ, item & nos in die tribulatio-
nis, in quâ non alium, quàm Te invo-
cabimus. Potest hic Psalmus recitari,
dum Christiani Principes arma movent
contra Infidoles.

PSALMUS XX.

Titulus & Argumentum: *In finem Psal-
mus David.*

Psalmus hic connectitur cum præce-
dente: gratias agit, quòd Deus Christum
Regem in prælio suo protexerit, exalta-
verit, & coronaverit.

✽. 1. *Domine in virtute tua lætabi-
tur Rex, & super salutare tuum
exultabit vehementer.*

Post adeptam Victoriâ Christum læ-
rabitur ob potentiam tuam, quâ hostes de-

I

vicit,